

Georg Mejer Philipp Fabricius


Disputationum Physicarum Tertia De Materia Rerum Prima

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742735702>

Druck Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





Disputationum Physicarum
T E R T I A
DE
MATERIA RERUM
PRIMA.

Quam
Divina adspirante gratia
In Inclÿta Academia Rostochiensi
SUB PRÆSIDIO
M. GEORGII MEIERI
Duderstadenſis Saxonis.

Tuebitur
PHILIPPUS FABRICIUS
Slesvicenſis.

Ad diem 23. Maij horis & loco conſuetis.

Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.



CLARISSIMIS
Consultissimis, experientissimis, splendidissi-
misq; Viris,

JURIDICÆ ET MEDICÆ
FACULTATIS IN INCLITA RO-
SARUM ACADEMIA

Dominis Decanis & Dominis Senioribus,
ut & reliquis Jurisprudentiæ & Medicinæ
Doctoribus atq; Professoribus excel-
lentissimis, præstantissimis,
dignissimis,

Dominis, patronis & fautoribus suis ob-
servanter honorandis:

Physicam hanc de Materia prima ἀσθησις

Amoris, favoris & benevolentia conciliandæ
& impetrandæ ergo

summissè

donat, dicat, consecrat

Philippus Fabricius I. F.
Respondens.



DE RERUM MATERIA P R I M A.

Theorema I.

Materiam primam necessario in natura dari statuimus.

Proximâ disputatione de principijs corporum naturalium in genere egimus: nunc ad specialem eorundem considerationem accessum faciemus, initio acturi de materia qua natura reliquis principijs prior est, siquidem subjectum eorum, eamq; ob causam in disquisitione principiorum primo loco merito collocatur.

II. *Necessitas autem flagitare videtur, ut an sit materia prima quæramus prius, quàm definiamus quid sit ea. Fuerunt enim, & sunt etiamnum nonnulli, qui materiam huiusmodi penitus negant, quorum argumenta & rationes in medium producemus, productasq; examinabimus, si prius nostram sententiam firmissimis fundamentis munitam dederimus.*

III. *Est profectò è gravissimis questionibus hæc præsens, ideoq; non parum in hac disceptatione ipsum etiam Philosophum laborasse animadvertimus, ut scilicet materiam primam, quod revera quid esset, ejusdemq; naturam demonstraret. Quantum verè colligi ex ipso potest, duo sunt præcipuè, quibus ad inventionem materie primæ pervenire valeamus. Unum, principiorum contrariorum ratio, qua subjecto communi carere nullo modo possunt,*

possunt, forma enim necessario quicquam informat, & privatio ubicumque est, in subjecto est, eamque ob causam abesse ab hisce duobus principijs tertium, materia scilicet minime poterit. Alterum est rerum in sese invicem transmutatio, & quidem non accidentalitatis tantum, verum etiam substantialis, qua sane contingere nullo modo posset, nisi subjectum quoddam adesset, quod ipsum omnium mutationis expers, reliquas tamen omnes sustineret: nullus enim motus est, nisi in aliquo subjecto mobili, quod inductione omnium specierum mutationis probatur: Et in natura nulla datur mutatio, qua in nihil omnino abeat & desinat.

IV. Ramus vero Galij, materiam primam figmentum esse in Aristotelis cerebro natam, & ob id in rerum natura non reperti contendunt. Ajunt enim 1. quod non sit actu, quia nullibi existit. Principia autem debent esse actu non potentia, quia quicquid generatur, generatur ex ijs quae sunt actu: Sic pullus quando generatur, generatur ex ovo, quod omnino actu est, non potentia: 2. quod non sit sensibile, quia non incurrit in sensus: Sensibilia vero sensibilia sunt principia. 3. quod sit neque substantia, neque accidens, quia in nulla categoria. Quod vero est neque substantia, neque accidens, illud est nihil.

V. Plausibilia sunt fateor, argumenta, sed si accuratiori mentis judicio examinentur, inutilitas eorum statim apparebit. Primum probat, quod materia prima non sit actu, quod simpliciter concedi non potest: licet enim per se non existat actu, est tamen & existit actu in composito, non igitur monstrari potest materia prima per se actu existens, sed existens in alio. Est deinde aliud actu esse, aliud actum esse. Materia prima quidem non est actu, est tamen actus, actus videlicet non existentie, sed essentiae. Axioma vero, Quicquid generatur, generatur ex ijs quae sunt actu, non est nisi natum verum. Quae enim per se actu existunt sunt composita, non principia. Et si procederet a natum, sequeretur neque formam esse principium, quia nec ipsa actu per se existit, nullibi

Nullibi enim reperitur forma sine materia, sic nullibi reperitur materia sine forma, sed materia juncta forma constituit Ens actu. Secundum eodem laborat vitio, quo primum. Nam quamvis materia prima in se per se non sit sensibilis: est tamen sensibilis in alio, videlicet in Elementis. Præterea sensibile esse, non est de essentia substantiarum, siquidem forma rerum, quæ & ipsa substantia sunt, omnes sensus fugiunt, proprium igitur illud est tantum corporum materiatarum & mixtorum, quæ ob concretionem accidentium sensibilium percipi possunt. Tertium tollitur hoc modo: Est materia prima substantia incompleta, eaq; de causa non constituit peculiarem categoriam, non enim est species Entis existens distincta ab alijs, sed saltem pars & principium sive inchoatio omnium corporum naturalium, quemadmodum caput, ut cum Zabarella loquitur non constituit peculiarem Entis speciem, quæ per se existat, sed pars est animalis, quod revera est species Entis. Ipsa igitur materia prima substantia esse non desinit, licet per se non existat, ob debilem quam habet Entitatem, cum propè ad nihil accedere videatur, quia tota est in potentia. Unde Scaliger duabus de causis difficultatem cognitionis evenire contendit, vel quod res de qua agitur, sua magnitudine excedat: Sic Deus propter immensitatem luce sua obruit aciem humani intellectus: vel quòd sua exiguitate eam fugiat: Sic materia prima tota fugit mentis nostræ captum sua obscuritate atq; humilitate exer. 359. sect. 12. Et paulò inferius: Quod est in Elemento materia prima h. e. in materia prima ipsiusmet materiæ suæ esse: Sed satis sit aliquid concipere, quod quàmquã haud implet intellectû nostrû, non tamen eum vacuum relinquit. Est & axioma limitandû: Quod neq; est substantia, neq; accidens, est nihil. Illud enim tantum accipiendum est de ijs quæ sunt in certa quadam categoria, ut species Entis: Quicquid enim est in prædicamento aliquo, est vel substantia, vel accidens, non datur medium. Excluditur itaq;

DEVS qui in nullo est predicamento, & tamen non est nihil.
Excluduntur transcendentia ut Ens unum verum, bonum. Excluduntur substantia incompleta ut materia & forma: Excluduntur privationes; excluduntur Entia complexa, & id genus alia qua ad certam aliquam categoriam referri non possunt.

Theorema II.

Materia prima est subiectum uniuscuiusque primum, ex quo fit aliquid cum insit non secundum accidens. Arist. lib. 1. Phys. cap. 2. t. 82.

I. λέγω ὅτι inquit ὕλην, τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἐκείτω, ἐξ ἧς γίνεται τι ἐνοπάρχον, & μὴ ἔχει συμβεβηκός, & addit: ἐν τῷ φθίρεταί η, εἰς τὸ πρῶτον ἀφίξεσθαι ἕχαπὼν. Proprium enim materia prima est, quod sit primum generationis subiectum, & resolutionis ultimum. Nisi enim in infinitum progredi velimus, necessum est recipere primum aliquod subiectum quod nec generetur nec corrumpatur, sed ex quo omnia fiant, & in quod omnia vicissim ultimò resolvantur. Non autem volumus, nec voluit etiam Philosophus, ut falsò sibi persuadent Thomista, quod in omni corruptione fiat resolutio usque in materiam primam, reclamant enim experientia, reclamant veritas, sed ideò dicitur materia subiectum resolutionis ultimum, quòd non liceat ulterius natura resolvendo progredi, quando ad illud ventum fuerit. Dicitur autem in definitione materia prima quod insit, quod non ita accipiendum est, quasi accidens esset materia, cum & accidens inesse dicatur, nam varij sunt modi inexistenti in alio, ut ostendit Philosophus lib. 4. Phys. cap. 3. t. 23. Sed accipiendum hoc est de debili illa & admodum infirma materia Entitate, qua sese suis viribus

viribus sustentare nequit, sed ab alio sustentatur cui inest. Dicitur etiam quod non secundum accidens inest, quia pars est essentialis compositi, ideoq; à composito salva manente ejusdem essentia nullo modo abesse potest, quod autem per accidens inest, abesse potest.

II. Habetur & alia materia prima apud Philosophum definitio lib. 7. Metaph. cap. 3. ubi inquit λέγεται δ' ὄλην ἢ καθ' αὐτὴν μήτε τι, μήτε ποσόν, μήτε αἴδιον μηδὲν λέγεται, οἷς ἄριστοι τὸ ὄν. Dico autem materiam quæ per se ipsam, neq; quid, neq; quantum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus Ens determinatur. Quæ definitio priorem non evertit. Illa enim ipsum modum causandi describit, & prout in generatione atq; corruptione vim agendi exserit, ita eam definit: Hac verò ipsam essentiam absolute & in se consideratam vult exprimere, cum autem ob gradum Entitatis maxime debilem, quid sit, positivè assequi aut exprimere non valeamus, propterea per remotionem dicit quid non sit materia.

Theorema III.

Materia prima omni destituitur formâ.

I. Quod enim formam habet, per eam etiam propriam habet subsistentiam: subsistentia enim est à forma, jam verò materiam primam per se & ex sese subsistere, nemo facillè affirmabit, subsistit namq; semper in alio, in composito. Accedit & hoc, quod omne illud quod formam habet substantialem, corpus sit, materiam verò primam non esse corpus, sed principium corporis quilibet novit. Postremò est materia illud ipsum quod formas in se recipere debet: Est enim in pura potentia qua tamen restringitur per privationem, cujus ergò sit, ut hanc potius quam illam formam induat. Hinc duplex illa materia potentia, remota & propinqua extitit.

Nec

II. Nec obstat, quod qualibet res suam habeat formam, per quam sit id quod est. Notandum enim est quod homonymia sit in voce forma, qua modo pro forma Physica sumitur, modo pro actu, qui considerationis est Metaphysica. Actus enim in Metaphysicis equipollet formae in Physicis. Omne igitur Ens, est Ens per suum actum, quemadmodum omne corpus per suam formam. Quia itaq; materia prima est Ens, utiq; habebit actum quod non negamus, sed quia non est corpus (est enim corporis principium) non habebit formam, Physicam videlicet, de quo loquitur theorema nostrum.

Theorema IV.

Materia prima appetit formam, ceu femina marem, & turpe pulchrum. Arist. lib. 1. Phys. cap. 9. t. 81.

Acutissimus Scaliger in hoc Aristoteli est contrarius exerc. 17. § 61. sect. 1. Sed litem hanc facile dirimere poterimus, si distinguamus primò inter appetitum intellectivum & naturalem. Non ille: sed hic materia prima tribuitur, materia enim prima per suam naturam semper cupit informari. Deinde Scaliger quando materiae differentiam attribuit, per quam materia est id quod est, exerc. 17. probaturus eam non posse appetere formam, quod hanc semper habeat, confundit formam Physicam cum forma Metaphysica, qua aliàs actus dicitur, quem semper habet, nunquam appetit, formam verò Physicam quia non habet, eandem appetit. Quin & materiam secundam cum prima, particularem cum universali sepius confundit, quod tamen minimè faciendum erat.

Theo-

Theorema V.

Materia prima actu est & reperitur in corporibus naturalibus.

I. Rationes quibus communiter Philosophi hanc sententiam astruunt & confirmant sunt hæc: 1. Quia actu corporum naturalium essentiam ingreditur: Est enim subiectum primum ex quo primo aliquid fit. 2. Quia omne corpus naturale ultimo in materiam primam resolvitur: In quod autem res resolvi potest, illud rei insit necessum est. 3. Quia materia prima est incorruptibilis: Neque enim generatur, neque corrumpitur, cum generatio & corruptio sit compositi, non verò principiorum. Quicquid verò est incorruptibile, illud in composito non interit, sed manet. 4. Quia est communissimum & formarum & accidentium receptaculum, quæ ex potentia ejus educuntur, ideoque revera actu est & reperitur in corporibus naturalibus.

II. Evidentissima huic sententia se opponit Timplerus, materiam primam concedens quidem, eandem tamen in corporibus naturalibus esse pernegans Part. 1. Phys. cap. 4. quæst. 6. Ejus rationes sunt: 1. Quia materia prima quam DEUS in principio mundi creavit fuit massa rudis & informis, ex qua omnia quidem corpora naturalia à DEO fuerunt condita, ita tamen ut substantia ejus non manserit salva & integra, sed virtute DEI supernaturali fuerit transmutata in aliam substantiam, non secus, ac sanguis in semen humanum, & hoc in corpus humanum essentialiter transmutatur. 2. Quia materia prima non fuit principium constitutivum corporis naturalis, quod semper actu manet & existit in re constituta, sed tantum productivum, quod absoluta generatione non permanet, sed esse desinit.

B

De

III. De hisce Timpleri rationibus quid sentiendum? immo-
tonè nituntur fundamento? nullo. Prior enim simpliciter est falsa:
nam non rudis illa massa à DEo in principio mundi condita, fuit
materia prima, qua licet fuerit indigesta: non tamen omnis forma
planè fuit expers, siquidem erat corpus sensibus obviuum, & diceba-
tur indigestum & informe respectu eorum qua inde formari de-
bebant: Sed materia prima eidem congenita, seu ut magis proprie
loquamur concreata fuit. Simul enim quando DEus molem istam
creavit, materiam primam concreavit, & nunquam ea per &
ex se sine forma extra compositum existit. Deinde mala institui-
tur comparatio inter sanguinem & materiam primam: non enim
ita se habet sanguis ad semen, ut materia prima ad corpus, siqui-
dem sanguis est materia secunda, quia informata, materiam
autem secundam interire concedimus quidem, quod fit quando for-
mam quam habet abijcit, & aliam induit, Hinc Scaliger os cada-
veris carere ea materia, qua fuerit vivens statuit, nam si
materia Cæsaris inquit, non est materia Bucephali, quia
sunt sub diversis formis, non erit cadaveris materia eadem
numero, quæ fuit viventis exerc. 6. sect. 12. Sed materiam
primam ita interire, ut non amplius sit actu in corporibus natu-
ralibus, illud omninò inficiamur, qualis enim queso à materia se-
cunda ad primam est collectio? ideoq; idem Scaliger materiam pri-
mam respiciens, hominis materiam eandem cum stercoreis ma-
teria asserere non dubitavit, exerc. 61. sect. 1. Ubi in hac
verba erumpit: Non profectò intelligo, materiam hujusce
compositi, quod humanum corpus appellamus, aliam esse à
materia stercoreis, asini, vel crocodili. Posterior ratio turpi-
ter principium petit. Probandum enim erat, materiam primam
non esse principium corporis naturalis constitutivum. Nos sic col-
ligimus: Causa interna est principium constitutivum: nam di-
cuntur causa interna, quæ essentiam rei cuius sunt ingrediuntur,
eamq; constituunt. Atqui verò materia prima est causa interna:
non

non enim est externa, siquidem causa efficiens & finis causa dicuntur externa, Ergo materia prima omnino erit principium corporis naturalis constitutum. Similiter probandum erat, materiam primam absolutam generatione non permanere, sed esse desinere, hoc ipsum enim versatur in questione an materia prima in composito esse desinat.

IV. Rationes & argumenta nostra convellere quidem conatus est, sed frustra, stant enim adhuc inconcussa. Primum, secundum & quartum simpliciter dicit esse falsa, & pugnare tam cum sensu, quam experientia. Nam inquit licet corpora naturalia à DEO fuerint ex materia prima creata, & jam etiam adhuc ab eodem virtute hyperphysica in eandem resolvi possint: tamen nullum corpus naturale est, quod naturaliter unquam fuerit ex materia prima generatum, aut in eandem actu resolutum. Sed quis non videt, Timplerum niti falsa hypothesi, rudem enim illam molem à DEO in principio mundi conditam, materiam primam agnoscit, quam tamen ejus sententiam seu opinionem falsam esse, in refutatione primi ejus argumenti demonstravimus. Verum quidem est, quod nullum corpus in illam molem resolvatur, similiter nullum ex ea hodiè generetur, sed propterea negari non debet generatio ex materia prima, vel etiam resolutio in eandem, cum materia prima & moles ista non sint idem. Et si materia prima non est communissimum & formarum & accidentium receptaculum, ut vult Timplerius, quod ergo illud erit? Aut erit materia, aut forma, aut privatio, nisi forsitan & quartum principium velit constituere. Non privatio: quia essentiam rei non ingreditur. Non forma: quia non recipit, sed recipitur. Ergo materia. At inquis, materia quidem prima recipit formas, sed non accidentia, accidentium enim receptaculum est materia secunda. Est materia secunda receptaculum accidentium, sed non commune. Commune autem & primum, est materia prima, qua si non esset, nec materia secunda acciden-

accidentia recipere posset. Ad tertium nostrum argumentum penè nihil respondet, nisi illud quod materia prima neq; generetur, neq; corrumpatur physicè, quod optimè scimus, nulla enim alia datur vel generatio vel corruptio præterquam Physica, hyperphysicè enim nihil generatur, nihil corrumpitur, sed creatur aliquid & annihilatur. Vult ergo quod materia prima annihiletur, quod satis liquet è sequentibus. Dicit enim quod materia prima non possit in aliam materiam desinere esse, non permanere autem eam in corporibus naturalibus superius affirmaverat. Jam verò quicquid ita esse desinit, ut in nullam aliam materiam desinat esse, illud propriè annihilatur. Igitur materia prima annihilatur, quæ hæc absurditas, cum nullum corporeum abeat in non corporeum, sive in nihil? Sed inquis virtute divina hoc fieri posse. Scimus hoc, & credimus, DEum aliquando in novissimo die universum hunc mundum, cum materia prima destructurum, sed talem destructionem factam jam esse, vel quotidie fieri materia prima in corporibus, nondum probatum dedit Timplerus. Et non nostra, sed ipsius sententia pugnat non tantum, cum sensu, cum experientia, sed & cum sana ratione. Si enim materia prima esse desineret, jam & reliqua corpora naturalia omnia esse desinerent, nam materia secunda præsupponit primam, quæ si non esset, neq; illa esset: sublato enim fundamento & subjecto omnium rerum naturalium communi sive primo, & res ipsas tolli necessum est. Quare neutiquam argumentum hoc vitio laborat ^{appositis}, ex quo conclusio nullo modo probari possit, ut verba habent Timpleri, sed immotum manet: Quicquid est incorruptibile, illud esse non desinit. Atqui materia prima est incorruptibilis. Ergò in corporibus naturalibus esse non desinit. Minorem ut veram concedit Timplerus si intelligatur de corruptione Physica. Corruptionem verò hyperphysicam materia primæ in productione corporum naturalium non dari, sufficienter demonstravimus. Theo-

Theorema VI.

Materia prima neq; generatur, neq; corrumpitur.

I. Theorema hoc affine est præcedenti, in quo de interitu materia prima in corporibus naturalibus disseruimus, quem quidem Timplerus propugnat, nos verò impugnamus. In hoc de materia per se considerata agimus statuentes eam neq; esse generabilem neq; corruptibilem, quòd 1. generatio & corruptio non sit principiorum, sed compositi. Generatur solum compositum inquit Scaliger exerc. 346. 2. quod materia prima nullam aliam habeat materiam præexistentem ex qua generetur. Quicquid verò generatur, ex alio quodam præexistenti generatur.

II. Sed objicis 1. Quòd omnes res naturales generationi & corruptioni sint obnoxia. 2. Quòd generato & corrupto composito, generentur & corrumpantur ea, quæ composito insint. 3. Quòd illud, quod generationis & corruptionis est expers, sit æternum. Non autem materia prima, sed solus DEUS est æternus.

III. Harum objectionum prima primò occurrimus per instantiam hoc modo: Cælum non est generatum, sed creatum; non corrumpitur, sed aliquando virtute omnipotentis DEI annihilabitur, & tamen est res naturalis. Accidens non generari, sed congenerari, non corrumpi, sed concorrumpi ut ita loquar dicitur, & tamen est res naturalis. Deinde dicimus, quòd obiectio tantum accipienda sit de corporibus, neq; tamen de ijs omnibus, sed tantum sublunaribus. Quia itaq; materia prima non est corpus, sed ejus principium, generationi & corruptioni non erit obnoxia, quæ affectiones sunt compositi, non principiorum. Secunda principium petit. Illud enim in questione versatur, an quia compositum generatur & corrumpitur, etiam ipsa principia è quibus

compositum constat, generari & corrumpi dicantur. Non itaq; sic procedendum erat: Generato & corrupto composito, generatur etiam & corrumpitur materia prima qua eidem inest: sed id probandum, Quae enim consequentia à composito ad principium compositi? Pari Logica colligere possem: Si constat compositum ex materia & forma, & omnia ea qua composito insunt, ex materia & forma constabunt. Quis non vitium sequela deprehendit? Dicitur tamen materia prima in composito generari, quatenus formam recipit: similiter corrumpi, quatenus eandem amittit, in se autem considerata, neq; generatur, neq; corrumpitur. Tertia & postrema ex parte tantum vera est. Ita enim informanda erat: Quicquid & generationis & creationis expers est, illud est aeternum. Nam angeli neq; generantur neq; corrumpuntur, neq; tamen sunt aeterni, similiter caelum & generationis & corruptionis est expers, neq; tamen est aeternum. Licet igitur materia prima non sit generata: est tamen creata, & idcirco haud aeterna: Quicquid enim creatum est, aeternum non est.

Theorema VII.

Materia prima malè appellatur corpus immateriatum.

I. Materiam primam corpus esse probat *Timplexus* tribus potissimum lib. 4. *Metaph.* cap. 6. *quest.* 24. Ad objectionem autem qua obijcitur, non esse corpus, sed corporis principium materiam primam, respondet per concessionem, sed nihil obitare asserit, quominus principium illud etiam corpus dici possit, licet non tale quale ex eo producitur. Nil ergo facit aliud, quam quod distinguit inter corpus propriè sumptū, & impropiè. Corpus propriè acceptum quia constat ex materia & forma, non potest dici materia prima, sed impropiè quatenus videlicet corpus constituit, in quo litem ipsi non movemus.

Cate-

II. Caterum corpus illud immateriatum appellat, quo absurdus quicquam vix dici potest. Quid enim corpus est sine materia? non est corpus. Tolle materiam à corpore, & corpus non amplius habebis. Hinc rectè Scaliger: Corpus facere sine materia, est facere insomnium sine somno exerc. 359. sect. II. Præterea habet assertio hæc vitium in adjecto: corpus enim qui vocat immateriatum, quid facit aliud quàm quod vocet incorporeum? Ut enim corporeum & materiatum idem sunt: sic incorporeum & immateriatum. Dicitur lapis corporeus & materiatus; Angelus incorporeus & immateriatus. Ergone igitur corpus quoddam incorporeum dicitur? ἀτόρον


III. Sed tamen non desunt rationes, quibus novam hanc suam & fictam opinionem stabilire se posse arbitratur Timplexus. Primum enim inquit, quia immediatè ex nihilo est creata materia prima. Secundò, quia manifesta fit implicatio contradictionis, si quis statuatur, materiam primam esse corpus materiatum. Sicut enim efficiens simpliciter primum est, quod tantum est efficiens, nunquam effectum: ita materia simpliciter prima est, quæ tantum materia est, nunquam materiatum.


IV. Verum quis est qui non futilitatem in rationibus jam alatis deprehendat? Prima enim si syllogismo includatur, emerget propositio major talis: Quicquid est ex nihilo creatum, illud est immateriatum. Quis sanus hæc concederet? Vera est tantum secundum quid, non simpliciter: Quædam enim quæ ex nihilo creata sunt, sunt immateriata, ut angelus & anima rationalis in Adamo: Quædam verò non, ut corpus illud rude ac indigestum in principio mundi à Deo creatum, quod certò in se materiatum fuit, licet non ex alia materia præexistente fuerit productum. Et si materia prima non est materiata, unde quæso reliqua corpora naturalia, quæ ex materia constant, materiam habebunt? certè compositum quicquid habet, habet à principijs constituentibus compositum. Quod igitur corpora naturalia materiata dicantur, hoc ipsum

hoc ipsum materia prima est ascribendum, propter quã solam materiata dicuntur. Altera id vitium nostræ imputat sententiæ, quod tamen ipsa Timpleri opinio vel maximè laborat. Non enim nostrã, sed ipsius sententiã contradictionis laqueo teneri paulò superius demonstravimus, ubi ostendimus corpus sine materia, non esse corpus. Deinde simile quod adducit, non per omnia quadrat: causa enim efficiens simpliciter prima est, quæ prius simpliciter se nihil habet, materia autem prima non dicitur ita simpliciter prima, quasi prorsus se nihil prius haberet, est enim à DEO, ab eoq; dependet, tanquam effectum à sua causa: sed dicitur prima secundum quid, quod videlicet nullam aliam materiam se priorem habeat. Præterea distinguere debebat Timplerus inter materiata, quæ materiam habent in se ex se, & quæ ex alio. Materia prima dicitur materiata, non quod materiam habeat ex alio, sic enim non esset prima, sed quod in sese eam habeat: Reliqua verò corpora naturalia dicuntur materiata, quod materiam habeant ex alio, ex materia videlicet prima.

COROLLARIA!

- I.
An materia sit principium passivum? A.
- II.
An mera sit potentia, quod constituit materiam primam? N.
- III.
An materia prima propriam habeat existentiam? D.
- IV.
An materia prima sit æterna? N.
- V.
An materia prima reperiat in accidentibus? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione effectus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document

et pri
m, a
cor
x sua
quia

ra-

us vi
ntelli
sistere

nam
istit.

stere,
im ali
estum

, exer.
depo
ea in
untur.

n sunt
dentia
est bo

Ens est
creatus.

à sum
no bono